

pro tempore spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicte Congregationis S. Joannis Evangeliste, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 1. Martii MDCLXXIX. Pontificatus nostri Anno Tertio.

LIV.

Dat. 4. Mar. 1679. An. 3.

Declarantur scandalose, & in praxi perniciose plurimæ propositiones in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo Domino Nostro D. Innocentio Divina Providentia Papa XI., ac Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster Innocentius PP. XI. prædictus, ovium sibi a Deo creditarum salutem sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiiis a felic. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diversis, vel Libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurimum examini, & deinde EE. & RR. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate sæpius discussis eorundem EE. Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, idem SS. D. N. re postea mature considerata, statuit, & declaravit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosam, & in praxi perniciosam, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suae quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

Post Alexandrum VII. quamplures alie propositiones examini subiecte sunt.

Damnatae vero insequentes.

Circa probabilitatem.

Primo. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sa-

cerdotalis, aut Episcopalis.

Secundo. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

Tertio. Generatim dum probabilitate, si-ve intrinseca, si-ve extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Quarto. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

Quinto. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audeamus.

Sexto. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

Septimo. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

Octavo. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obstat valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Nono. Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

Decimo. Non tenemur proximum diligere actu interno formali.

Undecimo. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Duodecimo. Vix in secularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad elemosinam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

Decimo tertio. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vitæ alicujus tritari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

Decimo quarto. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

Decimo quinto. Licitum est filio gaudere de patricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.

Decimo sexto. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

Decimo septimo. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

Decimo octavo. Si a potestate publica quis interrogetur fidem ingenue confiteri ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

Decimo nono. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

Vigesimo. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

Vigesimo primo. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

Vigesimo secundo. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate mediæ non autem explicita Remuneratoris.

Vigesimo tertio. Fides late dicta ex testi-

Dilectionem Dei.

Finem agendi.

Charitatem proximi.

Fidem.

monio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

Juramentum, & mendacium.

Vigesimo quarto. Vocare Deum in Testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

Vigesimo quinto. Cum causa licita est jurare si-ve animo jurandi, si-ve res sit levis, si-ve gravis.

Vigesimo sexto. Si quis vel solus, vel coram aliis, si-ve interrogatus, si-ve propria sponte, si-ve recreationis causa, si-ve quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

Vigesimo septimo. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censatur tunc expediens, & studiosa.

Vigesimo octavo. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Vigesimo nono. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

Homicidium.

Trigesimo. Fas est viro honorato occidere invadentem, qui nititur calunniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

Trigesimo primo. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

Trigesimo secundo. Non solum licitum, est defendere defensione occisiva, que actu possidemus, sed etiam ad que jus inchoatum habemus, & que nos possessuros speramus.

Trigesimo tertio. Licitum est tam hæredi, quam Legatario contra injuste impediendum, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut, & jus habenti in Cathedrali, vel Prebendam contra eorum possessionem injuste impediendum.

Trigesimo quarto. Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne Puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

Trigesimo quinto. Videtur probabile omnem fetum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Furtum.

Trigesimo sexto. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

Trigesimo septimo. Famuli, & Famule domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compendandam operam suam, quam majorem, judicant salario, quod recipiunt.

Trigesimo octavo. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per paucam furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

Trigesimo nono. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Contractum.

Quadragesimo. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ inito, cum intentione lucri.

Quadragesimo primo. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra fortem a Mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

Quadragesimo secundo. Usura non est dum ultra fortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.

Detractionem.

Quadragesimo tertio. Quid ni non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

Quadragesimo quarto. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

Simoniam.

Quadragesimo quinto. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spiritualis, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

Quadragesimo sexto. Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale immo etiam si suis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

Electorem.

Quadragesimo septimo. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint ad Ecclesiæ promovent, Concilium, vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo propositivo, vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio quando fit concursus.

Appetitus.

Quadragesimo octavo. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Quadragesimo nono. Mollities jure naturæ prohibita non est; Unde si Deus eam non interdidisset saepe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Quinquagesimo. Copula cum conjugata, consentiente Marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Quinquagesimo primo. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum, ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspicatur, ne Domo expellatur.

L

Quin-

excludi, aut privati, vel exclusi declarari non possint, eas omnes, & singulas ad prescriptum nostrarum Constitutionum 3. part. Cap. 7. nu. 2. §. 2. Definitorio scilicet noviter eligendo referant. Et nihilominus ad electionem, & electiones sub protestatione admittatur: irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes quidquid fecus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit; unde verba illa predictarum Constitutionum ibidem, *Ac de habentibus vocem tam activam, quam passivam omnem controversiam dirimant*: Et illa §. 4. ejusdem capituli: *Si quis noverit causam, propter quam vocem quis activam, vel passivam habere non debeat in presenti Capitulo, eam referat Judicibus Causarum*: conformiter ad hanc declarationem intelligenda esse declaramus, consequenterque omnes, & singulas electiones, quae sub hujusmodi declaratione, ac ordinatione, in posterum celebratae fuerint, juxta verba ejusdem textus sine vitio, & nullitate quoad hanc partem pertransire, etiam declaramus.

De Actis Electionis Provincialis.

Quinto. Ne Canonica Patris Provincialis electio ob incertitudinem facti possit aliquando in dubium revocari: Volumus, & praecipimus Patribus Definitorii, ut numerum Vocalium, qui ad electionem active concurrerunt, & quot favorabilia suffragia quisque passive ad eam concurrere pro se habuerit, clare, & fideliter exprimant in actis Capituli, quae ad nos, & successores nostros pro confirmatione obtinenda mittuntur, in quibus etiam diligenter, & expresse adnotari mandamus, causas, & motiva relectionum Priorum, si aliquando eorum aliquem in casibus per Constitutiones permittis 3. p. cap. 2. §. 9. in Priore ejusdem Conventus reelegi contigerit, secus relectionem ex nunc prout ex tunc irritam, & annullamus, irritamque, & annullatam esse volumus, & declaramus.

De tempore definiti causis, in Definitorio Capituli Provincialis.

Sexto. Ut communia, & particularia Provinciae Cause, & negotia, matura qua par est expediantur consideratione, & Definitorii Patres ad prescriptum nostrarum Constitutionum 3. part. cap. 7. n. 15. §. 3. *Nihil indefinitum relinquant omnibus rite ordinatis Provinciae tota usque ad sequens Capitulum Provinciale quiescere valeat in sancta parte*, quindecim eisdem dies pro termino praefixo assignamus, quibus cause, & negotia ad eos declarata examinare, determinare, & expedire possint, & debeant, non tamen ultra predictos quindecim dies Definitorium Capituli Provincialis extendi volumus, non obstante quocumque Decreto, vel consuetudine in contrarium, sed eo elapso tempore idem conclusum, & absolutum, ac Patris Praesidentis jurisdictionem ipso facto extingui esse decernimus, & declaramus. Quod si Pater Praesidens ultra praesinitum quindecim dierum terminum Definitorium protrahere praesumpserit, poenam privationis utriusque vocis per decennium ipso facto incurrat: nullumque, ac irritum sit quidquid gestum, vel attentatum fuerit. Porro si aliqua causa sese offerat, quae ob gravia motiva tam cito nequeat expediri, Definitorio privato deferatur, cui Definitorio praesentium Statutorum, atque Declarationum vigore omnis facultas desuper necessaria, & opportuna perpetuo datur, & data declaratur, quatenus eam, prout de Jure examinet, & determinet, examinareque, & determinare teneatur.

Septimo. Statuimus item, ac decernimus,

quod Pater Provincialis causas graves, vel gravia negotia communia, vel particularia, quae extra tempus Capituli, vel Congregationis Provincialis fuerint determinanda, vel expedienda, nisi cum quatuor Definitoribus actualibus dumtaxat, ac sub forma Capituli privati, vel Congregationis Provincialis fuerint determinanda, vel expedienda, nullatenus determinare, vel expedire possit; nec aliquo, vel aliquibus ex predictis quatuor Definitoribus actualibus exclusis, vel non admissis Capitulum privatum per se, vel per alium celebrare valeat, sed ad illius celebrationem omnes, & singulos predictos quatuor Definitores sub poena nullitatis agendorum ipso facto, & absque alia declaratione convocare, & admittere teneatur, quod ut facilius exequi possit, non obstante supplicatione per Provinciam nobis exhibita, confirmamus, & innovamus, ac omnino observari jubemus Reverendissimi Valvasorii Praedecessoris nostri Decretum, quo statuitur, ut in Conventu Quiteni omnes Definitores de familia degant, quo predicto Conventu decernimus, ut nullum ex predictis quatuor Definitoribus Pater Provincialis, etiam ad breve tempus, sub poena privationis vocis activae, & passivae per quinquennium ipso facto incurrenda, ullo modo remove, vel exiliare possit: si tamen quis eorum convalescentia, aut honestae recreationis causa ad aliquem viciniorum locum ire postulaverit, eidem ad necessarium, vel ad breve tempus respective hujusmodi licentiam concedere poterit: & ut predicti Patres Definitores suam auctoritatem, & potestatem etiam in Judicando liberius exercere possint, & valeant: prohibemus P. Praesidenti Capituli, Patri Provinciali, & aliis Patribus ejusdemque Definitorii etiam Capituli Provincialis, necnon quibuscumque aliis Superioribus etiam localibus sub predicta poena privationis vocis activae, & passivae, ne ad aliquod Officium, vel Ministerium etiam non electivum tum cum Cura Animarum etiam Indorum, tum sine illa, tum cum Jurisdictione etiam delegata, tum sine illa, etiam sub titulo Vicarii, Visitatoris, vel administratoris, vel sub alio quocumque titulo, vel nomine aliquem, vel aliquos ex predictis quatuor Definitoribus respective promoveant, vel provideant, nec ipsi Definitores, vel aliquis eorum sub eadem poena privationis, promotionem, vel provisionem aliquam ullo modo acceptent, vel exercent: Irritum insuper, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes quicquid in contrarium quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De forma expediendi negotia, vel Causas per P. Provinciale.

Octavo. Provinciale processari, officio privati, aut ab eodem suspendi, vel alia puniri poena, etiam per sententiam declaratoriam non posse declaramus, nisi in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae: De iis enim dumtaxat, non vero de Definitorio Capituli privati intelligendum esse declaramus Definitorium Provinciae, a quo nostrae Sac. Constitutiones 3. part. cap. 11. §. 9. Provinciale puniendum decernunt: hinc revocandum censemus, prout cum effectu revocamus Decretum Reverendissimi Valvasorii Praedecessoris nostri, quo pro punitione P. Provincialis Definitorium Capituli privati octo Patrum stabilivit: Insuper privationis, suspensionis, vel aliam respective poenam, ut supra Provincialis non subeat, nisi

De modo ferrendae sententiae de Provinciali, Definitoribus, Visitatoribus aliisque nonnullis

juris ordine servato ob excessus, vel casus proprius privatione, vel suspensione in Constitutionibus expressos: propter quosmetipsos dumtaxat excessus, vel casus respective, ac in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae tantum (ut de Patre Provinciali dictum est) Patres Definitores, Exprovinciale immediatum, Expraesidentem immediatum, & Visitatores Provinciae processari, voceque, officiis, aut gradibus juris tamen ordine servato suspendi, vel privari, aut suspensos, vel privatos declarari posse, etiam declaramus: irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione, decernentes quidquid propter alios excessus, vel casus, aut alio tempore, seu juris ordine non servato contra Patrem Provinciale, ceterosque, & singulos nominatos Patres fieri, vel attentari contigerit; verba namque Constitutionum 3. part. cap. 12. §. 20. ibi: *Pater Provincialis poterit eos (scilicet Visitatores) corrigere, & punire*: De correctione, & punitione Regulari ad poenitentiam, extrajudicialiterque imponendis, & non aliter, neque alio modo intelligenda esse declaramus. Verum cum predictis Patribus in Definitorio novi ac immediati Capituli Provincialis, utpote suorum officiorum tempore jam completo, predictae poenae privationis, suspensionis, vel depositionis ab Officiis nullatenus imponi possint, predictum Definitorium Capituli Provincialis recensitas poenas, juxta excessus tamen qualitatem commutari, debet in privationem Privilegiorum, vocis, vel in alias respective poenas indispensabiliter subbundas.

De casu quo deficiat aliquis Definitorum.

Nono. Si quis Definitorum ex hac vita migraverit, vel inevitabili aliquo praepeditus impedimento manus suam exercere non potuerit, aut illi iustus ex causis renunciaverit: tunc sine mora primus Definitor ex tribus additis, ille scilicet, qui ceteris plura suffragia in eorum electione habuit, etiam si omnes tres majorem partem omnium suffragiorum habuerint, & in parte, seu aequalitate suffragiorum antiquior gradu, & si graduati non fuerint, Professioe antiquior: conformiter ad nostras Sacras Constitutiones 3. part. cap. 7. n. 5. §. 1., & eadem 3. part. cap. 8. §. 3. ejus loco subrogetur, illoque deficiente, secundus, & postea tertius eodem ordine servato, quod etiam in similibus, & in aliis quibuscumque casibus subrogandi, seu supplendi emergentibus omnino observetur, ac fiat: quod si nullus eorum invenitur, recursus habeatur ad antiquiorem ex quatuor Definitoribus Quadriennii immediati praeteriti, illoque deficiente, ad illi immediatum &c. & omnibus predictis quatuor deficientibus, ad unum ex Definitoribus additis ejusdem Quadriennii, supradicto ordine omnino servato, sique retrocedatur ad alia Capitula praeterita, donec integretur numerus quatuor Definitorum non obstante supplicatione Provinciae in contrarium nobis facta, qui vero non ad causam, vel causas particulares, ut in casu discordiae, vel recusationis contingere potest, sed ad universitatem causarum pro hujusmodi subrogatione Definitorium ingreditur, numerumque quatuor Definitorum actu exercentium constituit, confirmantes, & quatenus opus sit, innovantes Declarationes Reverendissimorum Patrum voce, loco, ceterisque, subrogatione durante, gaudeat exemptionis, & privilegii, absque ulla prorsus differentia, quibus Definitores actuales in-

Capitulo Provinciali electi gaudent, & si omnibus istis antiquior sit, & usus emerferit, quod nullus in Praesidentem Capituli Provincialis per Litteras Patris Generalis deputetur, ipse tanquam primus Definitor (licet subrogatus) Praesidentia potiri debeat conformiter ad nostras Sac. Constitutiones 3. part. cap. 7. n. 1. §. 4., & si fecus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione.

De libera suffragatione Definitorum.

Decimo. Omnes, & singulos Patres Definitorii in omnibus, & singulis causis, vel negotiis in Definitorio etiam privato sententiandis, seu quomodocumque pertractandis, vel determinandis semper habere vota decisiva declarantes, decernimus, quod si aliquis eorum pro suffragatione secreta instantiam fecerit, per ballotulas secretas omnino fiat sub poena nullitatis agendorum ipso facto, & absque alia declaratione: inhibentes praeterea Patribus Praesidenti Capituli Provincialis, & alteri cuicumque sub poena privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrenda, ne in Definitoriis etiam privatis, quorum praesidentia ad eos respective pertineat per se, vel per alium liberam, & independentem Patrum Definitorii suffragationem publicam, vel secretam quovis modo impediant, neque ad suum sensum eorumdem vota extorque-re attentent; & si in puncto juris predicti Patres, vel aliquis eorum difficultatem aliquam habuerint, consultum cum Advocatis, seu jurisperitis etiam secularibus habere possint, & valeant.

De suffragiis in causis definitiis.

Undecimo. Ut quodcumque Definitorium, vel Tribunal etiam Capituli Provincialis, vel privati in suis Judiciis, vel Congressibus sententiam, vel determinationem faciat, facereque intelligatur, majorem partem omnium votorum respective consentire, & concurrere debere, necnon predictae majori parti minorem cedere, ac sententiae, vel determinationi factae subscribere teneri, etiam si Praesidens Capituli, vel Pater Provincialis pro dicta minori parte steterit, volumus, decernimus, & declaramus; in casu vero discordiae, ut vocant, si in quocumque Definitorio oriri contigerit, pro ea tollenda vocetur, & admittatur ille Definitor additus, qui in casu supplementi pro integrando Definitorio primo vocari, & admitti deberet: & si hujusmodi vocatio quacumque ex causa effectum non sortiatur, vel discordia adhuc ablata non fuerit, recursus tunc habeatur ad alium, & alium Definitorem additum &c. conformiter ad Decretum sub numero 9. suprapositum, donec predicta discordia cesset, sententiaque, vel determinatio a majori parte fiat: si autem in Tribunali Praesidentis Capituli, & Judicum Causarum predicta discordia oriatur, pro ea tollenda vocetur, & admittatur Pater Provincialis, seu Rector Provinciae, & si hujusmodi vocatio quacumque ex causa effectum similiter non sortiatur, vel discordia adhuc ablata non fuerit, recursus tunc habeatur, primo ad Definitores actuales suo ordine, postea ad additos donec predicta discordia cesset, sententiaque, vel determinatio a majori parte, ut supra fiat, & si fecus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione.

Duodecimo. Cum per nostras Sacras Constitutiones 3. part. cap. 10. §. 3. cautum sit, ne Capitulum privatum Priorem aliquem intra duos menses

Quendam pcepta.

Quinquagesimo secundo. Preceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

Quinquagesimo tertio. Satisfacit precepto Ecclesie de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

Quinquagesimo quarto. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquis Horis, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

Quinquagesimo quinto. Precepto Communionis annue satisfcit per sacrilegam Domini manducationem.

Sacramentum Penitentia.

Quinquagesimo sexto. Frequens confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota predestinationis.

Quinquagesimo septimo. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Quinquagesimo octavo. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

Quinquagesimo nono. Licet sacramentaliter absolvi dimidiate tantum confessos ratione magni concursus Penitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis, aut Indulgentiae.

Sexagesimo. Penitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturae, aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

Sexagesimo primo. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmo directe, & ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

Sexagesimo secundo. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Sexagesimo tertio. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi.

Sexagesimo quarto. Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimae Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

Sexagesimo quinto. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Prohibetur, ne quis relictas propositiones circumque defendat.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputaverit, publice, aut privatim tractaverit, vel predicaverit, nisi forsitan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latae sententiae, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio quocumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute sanctae Obedientiae, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christianis cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant. Tandem ut

Item ne in praxi utatur.

ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctae Obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Theisibus, Disputationibus, ac Praedicationibus caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognita super iisdem propositionibus iudicium proferatur.

In alias vero propositiones adhuc a S. Sede non proscriptas, ab omni convicio, & censura abstineant.

Franciscus Riccardus S. R., & Universalis Inquisitionis Not.

Loco * Sigilli.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda; die vero 4. Mensis Martii; Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii, Divina Providentia Papa XI. anno Tertio supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, & in aede Campi Flore, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae, & Sanctissimae Inquisitionis Cursores.

Fides publicationis.

L V.

Confirmantur Decreta omnia a Magistro, & Vicario Generali Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini pro pace servanda in Provincia Quitensis edita.

Dat. 17. Mar. 1679. An. 3.

De alternativis Officiorum in hac Provincia, vide hujus Pontificis Constit. 25., quae incipit: Pro parte charissimi.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

IN supremo Militantis Ecclesiae folio per ineffabilem Divinae Bonitatis abundantiam nullo licet meritorum Nostrorum suffragio constituti, ea, quae a Religiosorum Ordinum Superioribus pro salubri eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati sunt directione, ac felici gubernio, paceque religiosa, ac fraterna animorum concordia inter eos stabilienda, & solidanda provide prudenterque constituta sunt, ut firma semper, atque inviolata, persistant, Apostolici Nostri muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter roboramus.

Exordium.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Franciscus Montavo Frater expressae professus, ac Procurator Provinciae Quitensis in Indiis Occidentalibus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in Sacra Theologia Magister, quod cum Ven. Frater Nicolaus Oliva Episcopus Cortonen. alias dum in minoribus constitutus, Generalatus dicti Ordinis munere fungebatur, litibus, & dissidiis, quibus Provincia praedicta vexabatur, finem imponere, illisque animum in futurum praecipere cupiens, causis, & instrumentis, quae eadem Provincia ad ipsum remiserat, sedulo examinatis, necnon d. Francisco Provinciae Procuratore, ac dilectis pariter filiis

Causae Decretorum.

filiis Augustino de Montes Doca, & Iesepho de la Concha ejusdem Ordinis Professoribus in Sacra Theologia etiam Magistris in iudicium, contradictorium non semel vocatis, saepiusque etiam privatim auditis, de prudenti consilio Assistentium Ordinis praedicti pro antedictae Provinciae Quitensis reformatione, & bono regimine nonnulla Decreta, Statuta, Ordinationes, & Declarationes die 20. Octobris 1677. condidisset, illaque sub interminatione Divini Judicii, & sub quibusdam poenis per transgressores incurrendis inviolabiliter observari praecipisset: dilectus etiam filius Dominicus Valvasorius Vicarius Generalis dicti Ordinis, ut lites, & contentiones, quae non infrequenter, tum in celebratione Capitulorum Provincialium, tum aliis in occasionibus Religiosorum dictae Provinciae pacem turbare poterant, longius eliminarentur, die 30. Julii 1678. de consilio suae Congregationis alias nonnullas super praemissis Provisiones fecit: ac Decreta, Statuta, Ordinationes, Declarationes, & provisiones hujusmodi in unum corpus redigi, & in Capitula seu articulos distingui mandavit tenoris, qui sequitur videlicet.

Decreta in unum corpus redacta.

De Praesidentate Capituli Provincialis.

Et primo cum experientia didicerimus, ex Capitulorum Provincialium celebratione, lites, ac discordias praecipue oriri: Volumus, quod Pater Praesidens Capituli Provincialis, durante Officio sibi commisso, Apostolicas, & Religiosas Constitutiones, tum in spiritualibus, tum in temporalibus diligenter ab omnibus, & singulis observari faciat: Omnia Conventicula, & praesertim de nocte tempore silentii penitus removeat: transgressiones, inobedientes iuxta earumdem Constitutionum praescriptum corrigendo, & ad obedientiam cogendo; non tamen possit aliquem ex Electoribus per modum carceris, vel custodiae in cellis claudere, nisi facto prius processu ob formalem inobedientiam, vel alium gravem excessum, qui similem poenam mereatur, salva tamen semper Electorum libertate, etiam circa tractatus licitos de electione, faciendi, necnon de meritis eligendorum.

De Electione Judicii Causarum.

Secundo. Decernimus, quod Pater Praesidens antequam Judices Causarum eligantur, neque per se solus, neque cum aliis sub quibuslibet motivo, vel praetextu, etiam qualificandi, aut legitimandi Patres qui in imminente iudicium Causarum electione activam, vel passivam vocem habere debent, ex iis aliquem una, vel altera voce privare, vel a praedicta electione excludere, aut privatam, vel exclusivam declarare possit: Inherentesque praeterea Constitutioni Apostolicae Pauli V. de die 14. Julii 1614. incipien. Nuper a Nobis, & Decreto Sacrae Visitationis Apostolicae de die 1. Aprilis 1601. sub Clemente VIII., etiam decernimus, & mandamus, ut praedictorum iudicum Causarum electio canonice, ac per schedulas secretas, nulla facta per P. Praesidentem propositione in posterum fiat; & quod in hujusmodi electione Pater Provincialis, seu Rector Provinciae, primus, & secundus Diffinitorum, interventu Patris Praesidentis Capituli, munere scrutatorum, fungantur. Item quod praedicti iudices Causarum de caetero nullo modo eligantur, nisi ex iis Patribus, qui sunt de corpore Capituli, quos omnes, & singulos habiles, & idoneos ad ejusmodi officium indifferenter haberi volumus, & declaramus: in eorum vero electione suffragium

ferant omnes, & singuli, qui vigore Constitutionum, Statutorum, Declarationum, vel Privilegii, seu alias vocem activam ad Provincialis electionem proxime futuram pro illo tum habuerint, seu in qua possessione eligendi fuerint: irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De Electione Diffinitorum.

Tertio. Statuimus praeterea, ac juxta praedicta Decreta Pauli V., & Sacrae Visitationis Apostolicae volumus, & ordinamus, ut electio quatuor Diffinitorum actualium, non solum per schedulas secretas, sed etiam canonice in posterum fiat, ac insuper ut tres Diffinitores additi seu in supplementum ab omnibus Electoribus, eadem unica suffragatione, ac eisdemmet schedulis secretis, quibus praedicti quatuor Diffinitores actuales eliguntur, de caetero eligantur. Si autem evenerit, quod tam praedicta electio quatuor Diffinitorum actualium, quam iudicum Causarum, Patris Provincialis, Visitatorum Provinciae, vel aliorum quorumcumque Officialium, qui canonice, ac per schedulas secretas sunt eligendi, prima vice non deprehendatur legitime facta, & subsequuta, tum declaramus, & praecipimus, ut inviolabiliter observetur praedicta Constitutio Pauli V. Nuper a Nobis. Itaque solum per scrutinium secretum, schedularum, toties iterandum intra tempus concessum Electoribus ad eligendum, quoties opus fuerit, hujusmodi electio, vel electiones de caetero fiant: irritum, ac inane ipso facto & absque alia declaratione decernentes, si secus super his quovis modo fieri, vel attentari contigerit.

De auctoritate Praesidentis & iudicum Causarum.

Quarto. Ut lites, & discordiae, quae circa auctoritatem, & Jurisdictionem Patris Praesidentis & iudicum Causarum frequenter oriri solent, penitus removeantur: Declaramus praedictos Patres nullam habere auctoritatem, seu jurisdictionem voce activa, vel passiva aliquem privandi, aut ab electione excludendi, neque novos Processus ad hos effectus, vel ad aliquem eorum conficiendum, nisi solum propter casus notorios, intra duos menses ante electionem Patris Provincialis emergentes, & quatenus Reo nulla defensio etiam probabilis de jure competat, ac hujusmodi poena, vel poena ipso facto incurrantur, vel incurse fuerint. Priores autem suspensos, & alios quoscumque Reos, qui a Patre Provinciali, & Diffinitoribus ante praedictos duos menses iudicari, definitive non poterunt, servatis servandis privare poterunt, dummodo tamen casus privationis sint in Constitutionibus expressi, & causa, vel causa contra eos judicialiter, & legitime ad praescriptum Decreti sub numero 24. infrascripti per Patrem Provincialem, vel per aliam legitimam auctoritatem habentem actitate, & conclusa ad sententiam sint: alias si adversus aliquem ex Patribus vocem activam, vel passivam habentibus, quaecumque aliae causae, informationes, denunciations, accusationes, vel protestationes deduci contigerit, cum tempore electionis dolose, ac maliolose praesumantur, & infra brevissimum horarum terminum novi Processus prout de Jure, & praecipue circa hujusmodi causas, utpote altiore requirentes indaginem, judicialiter substantiari, assertique Rei sine eorum, ac etiam electionis praedicti privari, vel ab electione

De tempore quo quis privari nequit officio, vel voce activa, aut passiva.

mensis ante Capitulum Provinciale, & intra duos alios ante Congregationem intermediam Prioratus Officio privare possit; prohibitionem hujusmodi, etiam respectu omnium, & singulorum Patrum vocem activam, vel passivam habentium, & non solum per sententiam condemnatoriam, sed etiam declaratoriam intelligendam esse declaramus; itaut predictum Definitorium privatum nullum Patrem, cui ratione gradus, officii, vel alias vox activa, vel passiva competat, predicta voce activa, vel passiva, gradu, vel officio intra duos menses ante Capitulum Provinciale, & intra duos alios ante Congregationem intermediam privare, nec privatum declarare ullo modo possit: neque cum aliquis semel electus, & confirmatus a Patribus cujuscumque Definitorii respectu fuerit, electionem confirmatam tanquam nullam declarare intra predictos duos menses valeat: & si secus super his fieri, vel attentari contigerit totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione; & tam Pater Provincialis, quam Definitores poenam privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrant.

De his quibus Provincialis se ingerere nequit.

Decimotertio. Volumus insuper, & decernimus, quod Pater Provincialis in attentibus ad primam instantiam, & gubernium immediatum, & ordinarium Superiorum Localium nullo modo se intromittere possit, praeter quam in casibus a jure permisis, cui insuper praecipimus sub poena privationis vocis activae, & passivae per quinquennium ipso facto incurrenda, ne administrationem Praediorum, fructuum, & reddituum Conventuum undequaque provenientium per se, vel per alios, directe, vel indirecte, sub nullo praetextu, motivo, vel titulo sibi arrogare, seu adjudicare audeat: quod si inter visitandum, Regularem, vel Saecularem Administratorem Praedii, vel Praediorum removendum iustis ex causis invenerit, & cum effectu removeat, tunc sub eadem poena privationis vocis eidem Patri Provinciali inhibemus, ne in provisione novi Administratoris ullo modo se ingerat, sed certiorum faciat Superiorem localem Conventus, ad quem tale Praedium, seu Praedia spectant, ut ipse Superior localis de consensu Patrum consilii de alio, seu aliis Administratoribus provideat: in casu praeterea quo a gravamine Prioris localis ad Patrem Provinciale appellatio interponatur, volumus, & declaramus hujusmodi causam a Patre Provinciali, & Definitoribus saltem in Capitulo privato etiam intra bimestre, non tamen post recognitionem P. Praesidentis, prout de jure cognoscendam, & determinandam esse: & si secus super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione.

De Visitacione Provincialis a Provinciali facienda.

Decimoquarto. Generalem aliquam, vel particularem Visitacionem P. Provincialis sub quovis praetextu, vel motivo facere non possit praeter duas Visitaciones generales totius Provinciae, quas intra quadriennium unam scilicet singulo biennio sui Provincialatus facere debet: Ista vero in Conventu Quitenfi intra quindecim dierum, & singulis aliis Conventibus, Doctrinis, ac Praediis intra decem dierum terminum concludere omnino teneatur, intra quem terminum, si aliquem Superiorem localem, propter casus in Constitutionibus expressos dignum suspensione invenerit, eundem etiam,

extrajudicialiter procedens, & ad praescriptum praedictarum Constitutionum 3. part. cap. 12. §. 15. & cap. 13. §. 17. ab officio suspendere poterit: quod si in praedictis Visitacionibus summarie, vel alias inveniat aliquem Superiorem, vel inferiorem in quacumque causa civili, vel criminali judicialiter, & compilato processu audiendum esse; Tunc tanquam Judex, & extra formalitatem Visitacionis causam, vel causas, tum intra, tum extra praedictum terminum Visitacionis prout de jure cognoscat ad praescriptum Decreti sub num. 24. infraposti: De causis vero, judiciis, vel negotiis tum civilibus, tum criminalibus alias judicatis, conclusis, vel determinatis, necnon de quibuscumque sententiis in iudicatum, transactis praecipue absolutorias inquirere, eave movere, suscitare, vel recognoscere, etiam ad instantiam partis nullatenus possit. Item per se solus tam intra, quam extra terminum praedictae Visitacionis Patrem aliquem, cui ex gradu, vel officio, seu alias vox activa in Capitulis Provincialibus, seu in aliis quibuscumque electionibus competat, praedicta voce, gradu, vel officio etiam per sententiam declaratoriam privare aut titulo suspensionis, vel sub quocumque motivo, vel praetextu, etiam quod Reus, vel processus existat, ab eadem voce, gradu, officio, vel electione, directe, vel indirecte, mediate, vel immediate excludere nullo modo possit: sed si praedicta voce, gradu, vel officio propter quodcumque motivum, vel causam, carere debeat; tunc servatis servandis per sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam a Definitorio saltem Capituli prout de jure ferendam, respective privetur, vel privatus declaratur, aut ab electione excludatur, & non aliter, neque alio modo: quod si Pater Provincialis contrarium super his quovis modo facere, vel attentare praesumpserit, totum sit irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione, privationemque utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrat.

De remotio- ne Religio- rum a Carmo- nibus.

Decimoquinto. Provincialis, vel quicumque alius Superior sententialiter, vel provisionaliter Religiosum aliquem a Conventu, Curatu Indorum, vel Praedio removerit, vel in exilium miserit, teneatur sub poena privationis utriusque vocis per quinquennium eundem Religiosum de ejus discessu per tres dies ad minus ante remotionis, vel exilii executionem praemovere, ut ad Conventum, seu locum sibi destinatum possit honeste accedere: volumus praeterea, ac decernimus, quod si aliquis, vel aliqui ex Patribus Vocalibus, vel Definitorii a Conventu in quo Capitulum Provinciale, Congregatio intermedia, vel aliud quodcumque Definitorium fuerint celebranda, etiam per sententiam declaratoriam in exilium mittatur, vel missas fuerit, non obstantibus praedicto exilio, & quibuscumque aliis ad eundem Conventum tempore celebrationis Capituli Provincialis, Congregationis intermediae, vel Definitorii pro suffragio ferendo, vel in Definitorio Jurisdictionem exercendo libere, & licite accedere possit, & valeat, nec Pater Provincialis, aut quicumque alius eundem in tali accessu, ullo modo impedire possit sub poena privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrenda: Capitulo autem Provinciali, vel Congregatione intermedia, vel Definitorio, seu Definitoris, finito,

De convocacione Vocalium.

to, & finitis statim recedat, & exilium servet. Decimosexto. Per Convocatoriam, quae a P. Provinciali, vel a quolibet alio Superiori in Capitulo Provinciali, Congregatione intermedia, vel alia quacumque electione fieri solet, convocatos intelligi volumus, & declaramus omnes, & singulos, in habitu, vel actu vigore Constitutionum, vel privilegii, aut quasi possessionis ad praescriptum Decreti sub num. 2. supra positi in iisdem Jus eligendi habentes, respectu quorum nulla fieri possit prohibitio, quae si fiat pro nulla habeatur, eaque non obstante, ad electionem, vel Definitorium accedere possint, & debeant: Congregationem insuper intermediam Pater Provincialis, aut Rector Provincia nullo motivo, vel praetextu prorogare valeat, sed statuto tempore in medio quadriennii die scilicet 24. Mensis Julii, praedictae Congregationis primam sessionem per se, vel per alium celebrare teneatur sub poena privationis utriusque vocis per quinquennium, nullitatisque agendorum ipso facto incurrendis.

De Syndicatu Provinciali.

Decimoseptimo. Provincialis, seu Rector Provinciae, elapso sui Officii tempore, coram Definitorio Capituli Provincialis stare teneatur iudicio Syndicatus, seu (ut vocant) Residentiae: praedictum autem Definitorium privative quoad aliam quamcumque auctoritatem, vel jurisdictionem, etiam Patris Provincialis, & Congregationis intermediae, tum ad instantiam partium, tum ex Officio, de excessibus administrationis Officii, necnon personalibus durante Officio commissis, prout de jure inquirere, judicare, & determinare teneatur. Verum si aliqua, vel aliqua contra Patrem Exprovincialem, aut Rectorem Provinciae defensorum causa, quae a Definitorio Capituli Provincialis intra quindecim dies suae durationis definiti nequeant; Definitorio Capituli privati, cui praesentium Statutorum, atque declarationum vigore omnis facultas desuper necessaria, & opportuna perpetuo conceditur, & concessa declaratur, deferantur; quatenus intra terminum praesentium duorum mensium causam, vel causas sibi delatas, prout juris fuerit, finiat, & determinet, finireque, & determinare omnino teneatur: Exprovincialis autem, vel Rector Provinciae quousque iudicium Syndicatus sententialiter absolutum non fuerit, ad quacumque officia, etiam minima inhabilis omnino remaneat.

De adscriptio- ne Religio- rum aliarum Provincialium huic Quitenfi.

Decimo octavo. Quodcumque contigerit Religiosos alterius Provinciae Alumnos huic Provinciae Quitenfi affiliari: tum confirmantes & partim moderantes Decreta Reverendissimorum Patrum in praedicta Provincia admisa, necnon juxta Decreta Capituli Generalis celebrati anno 1661. tam licentiam a P. Reverendissimo Generale in scriptis habendam, quam consensum authenticum utriusque Definitorii saltem privati unius, & alterius Provinciae, a qua scilicet, & ad quam pro validitate affiliationis omnino intervenire debere decernimus, & declaramus, secus affiliatio irrita, & nulla sit ipso facto, & absque alia declaratione: Nullus item alterius Provinciae nisi prius eidem legitime affiliatus sit, neque aliquis ex non iterum affiliatis, vel in posterum affiliandis, nisi triennio transacto a die legitime affiliationis in Definitorem, vel Visitatorem, Regentem, Secretarium, Doctrinarum Priorem, seu Vicarium cujuscum-

que Conventus, vel Domus, etiam Indorum, vel Praedii eligi, aut deputari possit: secus electio, vel deputatio irrita, & nulla sit ipso facto, & absque alia declaratione.

De renunciacionibus.

Decimonono. Si Pastor Provincialis, aut quilibet alius ex novem Definitorii Patribus, legitima ex causa, officio suo semel acceptato renunciare voluerit, coram Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae id facere licite possit, & valeat; praedictum autem Definitorium causa renunciationis approbata, renunciationeque acceptata, ut defectus renunciantis suppleatur, prout de jure omnino procedere teneatur. Patres item Priores, Vicarii Priores, Studiorum Regentes, Provinciaeque Secretarius, si causam legitimam renunciandi suis officiis semel acceptatis similiter habuerint, & eisdem renunciare licite possint, & valeant, non tamen per sex menses ante tempus Capituli Provincialis, neque per duos alios ante tempus Congregationis intermediae: Quocirca Textum nostrarum Constitutionum 2. part. cap. 7. n. 17. §. 3. ibi -- Si vero Prioratus Officium acceptare renuerit sine causa praedicta, quam judicare teneatur Pater Provincialis, & Definitores &c. intelligendum esse declarantes etiam, respectu eorum, qui praedictis Officiis semel acceptatis renunciare voluerint. Decernimus, & declaramus hujusmodi Patres suas renunciationes coram Patre Provinciali, & Definitoribus actualibus in Definitorio saltem Capituli privati congregatis facere teneri: ad quod Definitorium causae, vel causarum renunciationis approbationem, praedictaeque renunciationis acceptationem, necnon si post Congregationem intermediam renunciatio acceptari contigerit, Electionem, seu provisionem alterius Officialis in locum renunciantis sufficiens ad praescriptum earundem Constitutionum 3. part. cap. 9. durationem pleno jure pertinere similiter declaramus: & si secus super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione: Verba autem Constitutionum 3. part. cap. 2. §. 5. ibi -- Nullus item possit voci suae renunciare sub poena privationis vocis activae per biennium: de renunciatione solius vocis, ut praedicta verba sonant, non autem de renunciatione Officiorum intelligenda esse declaramus, & non aliter, neque alio modo.

De appellacionibus.

Vigesimo. Si quis autem in quibuscumque causis civilibus, vel Criminalibus a Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae nulliter, aut cum injustitia notoria, iudicatus, vel spoliatus fuerit, ad remediaque Juris (absolutis praedictis Definitoriis) recurrere voluerit, tunc per se, vel per ejus Procuratorem, etiam si absens fuerit, coram Definitorio Capituli privati, de praedicta nullitate, vel injustitia notoria processus, vel sententiae, necnon restitutionem in integrum dicere, conquirere, & postulare legitime possit, & valeat: verba namque nostrarum Constitutionum 3. part. cap. 10. §. 3. ibi -- Non tamen poterunt Sententias, vel determinationes Capituli, vel Congregationis Provincialis mutare, vel alterare: In casibus Spolii, vel nullitatis, aut injustitiae notoriae locum non habent, neque eos comprehendunt, & ita intelligendum esse declaramus; Capitulum vero privatum, etiam cum facultate desuper necessaria, & opportuna, quae vigore praesentium,

Sta-

Statutorum, atque declarationum ei perpetuo conceditur, & concessa declaratur quoad predictam nullitatem, vel injustitiam notoriam, ac etiam quoad spoliati restitutionem usque ad sententiam definitivam, prout juris fuerit procedere omnino teneatur, quod etiam in simili eventu per P. Praesidentem, & Judices causarum facere posse declaramus. Magistri praeterea, & praesentati semel a Provincia acceptati, gradibus Magisterii, vel Praesentaturae, seu aliquo ex eorum privilegiis nullo modo possint suspendi, vel privari, aut suspensi, vel privati declarari, nisi propter casus dumtaxat pro eorum privatione, vel suspensione in Constitutionibus expressos, & per sententiam a Definitorio Capituli saltem privati, juris ordine servato proferendum: Et si contrarium super his fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane ipso facto, & absque alia declaratione: Praesati insuper Magistri a Provincia acceptati, quoad habilitatem ad Officium Provincialatus, absque eo quod Conventuum Priores aliquando extiterint, confirmantes, & innovantes declarationes Reverendissimi Valvasorii Praedecessoris nostri, eo quod omnes acta legerint, & docuerint, privilegio Regentium gaudeant, & potantur.

De amotione, & reintegratione Vicariorum Priorum.

Vigesimo primo. Vicarii Priores, qui loco Priorum, vel Vicariorum titularium cum voto, vel ante, vel post Congregationem intermediam quomolibet eliguntur, vel providentur nullo modo ad libitum removeri possint, sed si motiva adsint privationis, vel declarationis privationis, contra eos procedendum esse declaramus eodem modo, & forma praescriptis in Constitutionibus 3. part. cap. 13. §. 17., & in Decreto sub num. 24. infrascripto; irritum, ac inane ipso facto, & absque alia declaratione decernentes, quidquid fecus fieri, vel attentari contigerit. Innovantes propterea, & ampliantes Decretum Rimi Lanfranconi pro eadem Provincia Quiteni emanatum; praecipimus omnibus, & singulis Prioribus, & Vicariis Prioribus in Capitulo Provinciali, seu alias aleatis, vel provisus sub poenis privationis praedictorum Officiorum ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum per quinquennium obtinenda, ut in Conventibus, Doctrinis, vel Praediis pro quibus sunt electi, vel provisus, ad praescriptum Constitutionum 3. part. Cap. 13. §. 9. omnino residere teneantur, Paterque Provincialis, seu Rector Provinciae, vel alias quicumque Superior sub poena privationis utriusque vocis per quinquennium ipso facto incurrenda eisdem, vel alicui eorum nullo modo residentiam impediunt, sed eos ad ita residentium cum effectu respective compellant, & cum Priores, seu Vicarii Priores ad Capitulum Provinciale ire debent, praedictus Provincialis, seu Rector Provinciae sub eadem poena privationis de Vicariis, qui Conventibus interim praesint, excepto unico casu in Constitutionibus expresso 3. part. Cap. 20. §. 1. nullo modo provideant, sed conformiter ad dispositionem ejusdem Cap. 20. si praedicti Conventus Superiorem non habuerint, Vicarii eligantur; nec sub eadem poena privationis, auctoritatem, & gubernium interinarium Superiorem, vel in ejus defectu praedictas electiones valeant impedire, vel fecus super his quovis modo audeant attentare.

Vigesimo secundo. Quotiescumque juxta praescriptum nostrarum Constitutionum Superior

Localis ad aliquam causam, vel negotium pertractandum Patribus consilii uti debet (inter quos semper connumerari debere declaramus, & praecipimus Studiorum Regentes, & Lectores Sacrae Theologiae, & Artium, tam actuales, quam Jubilatos) tunc omnes, & singulos Patres consiliarios vota decisiva habere declarantes; Decernimus, quod si aliquis eorum pro suffragatione secreta instantiam fecerit, per ballottas secretas omnino fiat, & in omni eventu, nisi eorum major pars concurrat, & consentiat, sententia, vel resolutio nullo modo sit, neque intelligatur facta: Superior vero sub poenis privationis utriusque vocis per quinquennium, & nullitatis agendorum ipso facto incurrendis, neque liberam Patrum suffragationem publicam, vel secretam valeat quovis modo impedire, neque eorumdem vota ad ejus sensum extorquere.

De Patribus convocandis ad negotia, & Censuram pertractanda.

Vigesimo tertio. Si quis in posterum contra suam professionem judicialiter reclamaverit, vel de ejus nullitate dixerit, a quocumque Officio, quod pro tunc habuerit ipso facto sit absolutus, & privatus, liteque, seu reclamatione durante, nec vocem activam, nec passivam ullo modo habeat: & si in quocumque statu causa, vel post sententiam definitivam, etiam in iudicatum translata ad Matrem suam Religionem redire velit, charitative quidem recipiatur; ita tamen, ut si facto Processu ad praescriptum Decreti sub num. 24. infra positi, legitime constiterit, indebite, ac malitiose, & praesertim ad se subtrahendum a correctione Superioris contra professionem reclamasse, vel de ejus nullitate dixisse; si Graduat, vel Sacerdos tantum fuerit, locum novissimum inter Graduat, vel Sacerdotes per annum respective habeat, & utraque voce careat per biennium. Si vero non Sacerdos, sive Chorista, ut vocant fuerit, poenam gravioris culpa per unum mensem sustineat, & ad Sacros Ordines, etiam si in eis initiatus fuerit, per triennium nullo modo promoveatur: & si tandem Laicus fuerit, eandem poenam gravioris culpa per unum mensem fubeat, & locum novissimum teneat per biennium.

De reclamantibus eorum professioni.

Vigesimo quarto. Cum Pater Provincialis, etiam tempore Visitationis, in quibuscumque causis civilibus, vel criminalibus procedit, seu procedere intendit ad imponendum, etiam per Sententiam declaratoriam poenam, vel poenas gravioris ordinarias, scilicet privationis vocis activae, vel passivae, Dignitatis, Prioratus, Magisterii, Praesentaturae officii vocem activam, vel curam Animarum habentis, gravissima culpa, tremerium, exilii a Provincia, tortura, infamiae, Apostasia, Conspirantis, Capitis factionum, incorrigibilitatis, & aliarum similium, vel formidabiliorum, aut infamiam Personae, Conventus, Provinciae, vel Religionis inducentium, insuper in illis causis, in quibus tractatur de exclusione, vel admisione, validitate, vel invaliditate alicujus Magisterii, vel praesentaturae, in aliis similibus, vel gravioribus: tunc praedictus P. Provincialis non tamquam visitator, nec sub ratione & formalitate Visitationis (etsi ea in actu fuerit) sed tamquam Judex (praesuppositis tamen de Jure praesupponendis) judicialiter, & compilato Processu, servatisque omnibus, & singulis substantialibus iudicis ordinariis, in earum substantiatione, cognitione, & determinatione omni-

De forma, quam Provincialis servare debet in causis gravioribus.

no

no procedere teneatur; itaut Reum, seu Reos, prout de jure etiam ad sententiam citet; eos in omnibus, & singulis suis legitimis Defensionibus, excusationibus, & exceptionibus, etiam contra iudicem, vel iudices, testes, vel testes, prout de jure audiat: Eis integram copiam Processus, nomina testium, & consultum habere cum Advocatis, seu juris Peritis, etiam secularibus, si petierint, terminosque sufficientes pro suis defensionibus concedat: Coniudices verbo, vel scripto informare nullatenus impediatur; Ceteraque hujusmodi, etiam circa habilitatem, juramentum, examen, & repetitionem testium pro integritate Iudicii, & legitima esformatione probationum de jure necessaria (qua probationes, ut ad poenam, vel poenas praecipue ordinarias Reus condemnari, vel in eas, aut in aliquam earum incursum declarari possit, plene, clare, & concludentes debent esse) omnino observet, & ad sententiam sine plena cognitione causa (prout ex parte sua fuerit) nullo modo procedat, neque procedere possit: Appellationes insuper legitimae, etiam ex causa probabili debito tempore interpositas (exceptis tamen quibusdam casibus particularibus de jure, & prout de jure excipiendis) quoad utrumque effectum, scilicet suspensivum, & devolutivum in quantum ad se attinet, admittat, easque sic admittere teneatur: quam formam, modum, & ordinem judicialiter procedendi, & iudicandi, etiam circa appellationis admissionem, alium quemcumque Superiorem ordinarium, vel delegatum, necnon quodcumque Tribunal, vel Definitorium etiam Capituli Provincialis respective observare teneri decernimus, & declaramus; Unde verba nostrarum Constitutionum 3. part. Cap. 12. §. 22. ibi. *Appellationes a correctione Regulari, vel a precepto sui Superioris poenis inhibemus, & a nostro Ordine relegamus &c.* & illa 6. part. Cap. 23. §. 2. ibi. *Imposita tamen poenis quocumque modo imponantur, a Subditis humiliter acceptentur, postposita omni appellatione; nam a correctionibus non licet Fratribus nostris appellare.* De correctionibus, vel praecipis extrajudicialiter, & ad poenitentiam impositis, modumque legitime corrigendi, & praecipendi non excedentibus intelligenda esse declaramus, & non aliter neque alio modo: & si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter fieri, vel attentari contigerit, totum sit irritum, & inane, nulliusque roboris, & momenti ipso facto, & absque alia declaratione.

De iudicibus recusantibus.

Vigesimo quinto. Recusationes malitiosae, calumniosae, frivolsae, frustratoriae nullo modo admittantur, sed potius ita recusantes graviter, & prout de jure respective corrigantur, & puniantur; si tamen quicumque superior tam intra, quam extra terminum visitationis judicialiter procedens, seu procedere intendens, legitime recusari, etiam ex causa probabili contingat, tunc hujusmodi recusatione admessa, circa probationem causae, vel causarum praedictae recusationis, necnon circa alia ad ipsam recusationem, ejusque iudicium concernentia, vel attinentia, ac insuper in omnibus, & singulis illis casibus in nostris Sacris Constitutionibus omissis, & in casibus dubiis pro eorum doctrinali intelligentia, seu interpretatione, in eo interim quod Reverendissimi Patris responsum legitime habeatur; prout de Jure communi Canonico procedi, & ad

illud respective recurri debere, volumus, & declaramus. Verum si Pater Praesidens intra Definitorium Capituli Provincialis, vel P. Provincialis intra definitoria Congregationis intermediae, vel Capituli privati, legitime coram eisdem Definitoriis recusari contigerit, Vicarios loco eorum nominare, vel substituere etiam, sub motivo praesidendi minime possint, sed in tali casu praesidentia Definitorii, quodcumque sit, Patri ex reliquis in ordine sedendi antiquiori pertineat, & tam in istis, quam in casu recusationis aliorum Coniudicum, dummodo tamen major pars Definitorii libera, & expedita maneat, nullus alius ad Definitorium loco recusati, vel recusantis vocetur, vel admittatur, sed plena iurisdictio, etiam quoad causam principalem in majori parte Coniudicum remanentium sit, & permaneat, prout ita esse, & permanere volumus, & declaramus: quod si major pars Definitorii, ut supra non manserit, itaut in Definitorio Capituli Provincialis, vel Congregationis intermediae quinque, & in Definitorio Capituli privati tres ad minus Patres liberi, & expediti existant; tunc pro dicta majori parte integranda, ad praescriptum Decreti sub num. 9. suprapositi inviolabiliter procedatur.

De promovendis ad gradus, vel ordines, nec non de Apostatis.

Vigesimo sexto. Nullus Religiosorum, qui a decem annis professionem in eadem Quiti Provincia emisit, vel emittit in posterum, in Definitorem, Visitatorem, Regentem, Secretarium, Doctrinarium, Concionatorem, Priorem etiam Indorum, vel Praedii eligi possit, nisi per biennium integrum Artium, & per Triennium Sacrae Theologiae cursus compleverit. In Confessores vero eligi poterunt dummodo in casibus conscientiae sint sufficienter instructi: ii autem, qui ex aliis Provinciis a decem annis Quiteni Provinciae sunt filii, vel affiliabuntur in posterum, Definitorio per instrumenta authentica, constare faciant, qualiter praedictos Artium, & Sacrae Theologiae cursus in Provinciis a quibus sunt exiliati perfererint, alias sub poena inhabilitatis ad recensita officia praedictos cursus in Provincia Quiti completere teneantur; & ad vitandam omnem irregularitatis suspensionem in Sacris Ordinibus suscipiendis, praecipimus, & mandamus R. P. Provinciali, seu Rectori Provinciali, necnon cuicumque Definitorio, etiam Capituli Provincialis ejusdem Provinciae Quiteni nunc, & pro tempore existentibus, sub poenis privationis utriusque vocis per decennium, ut ad Canones Sacrosancti Concilii Tridentini, Religiosis alterius Provinciae, etiam cum licentia suorum Provincialium ad istam Quitensem divertentibus nullo modo Dimissorias ad Ordines sacros suscipiendos, etiam si in eis initiati fuerint, de cetero concedant, cum hujusmodi Dimissoriae propriis, & non ab alienis Provincialibus concedendae sunt: Animarumque praeterea saluti consulentes ob immanem terrae, marisque distantiam ab hac Romana Curia, benigne concedimus Patri Provinciali, seu Rectori Provinciali, & Definitoriis etiam Capituli privati praedictae Provinciae Quiteni, nunc, & pro tempore existentibus, ut Religiosos suos Apostatas, etiam si a multo tempore, & ultra annum a Conventu, vel etiam a Provincia, immo, & a Religione non tamen a fide apostataverint, recipere possint, servatis tamen quoad cetera dispositionibus nostrarum Constitutionum sexta parte Ca-

M

pite